

xerat, regem esse, Herculemq; ei subijci uelle; duodecim quoq; certamina ab eo perfici, quæ Eurystheus mandasset: quib. consummatis fieret immortalis. Alcmena post partum lunonem uerita, puerum in loco exposuit, quem nunc ab eo Herculeum campum dicunt. Quo tempore Minerua unâ cum lunone profecta, cum infantis naturam admiraretur, lunoni suauis, ut illi mammâ præberet. Qua præter ætatem uiolentius sumpta, luno dolore mota puerum abiecit. Minerua illum matri detulit nutriendum. Mirabitur meritò quis rem insuetam accidisse, ut mater, quam ad filiorum amorem natura compellit, ex se natum perditum iret: nouerca, quæ natura odisse priuignos solet, ignorans saluaret infantem. luno deinceps duos dracones ad perdendum misit puerum: quos ille utraq; manu faucibus apprehensos strangulauit. Vnde illū Argiui, quoniam lunonis opera gloriam esset adeptus, cum antea Alcæus uocaretur, Heracleum dixere. Reliquis imponuntur à parentibus nomina: huic soli uirtus nomen dedit. Interim Amphitryon è Tirynto pulsus, Thebas cõcessit. Hercules antea educatus optimè, certaminum quoq; exercitio deditus, & corporis robore excelluit, & animi uirtute. Adhuc epeheus primùm ad liberandas seruitute Thebas operam impendit, tanq; patriæ gratias redditurus. Erât subditi Thebani Erigino Minyarum regi, superbè ab eis annis singulis certū tributum exigenti. Sed minime ueritus imperantium uires, rem aggressus est memoria dignâ. Omnes qui ad exigenda tributa missi erât, maiè multatos è ciuitate expulit. Erigino eius rei auctorem dari sibi postulante, Creò Thebanorum rex illius potentia territus, paratus erat seditionis tradere auctorē. At Hercules comparatam adolecentium manum ad libertatem patriæ cohortatus, arma ex deorum templis, progenitorū spolia dijs affixa, ad belli usum deprompsit. Nulla enim priuatim in urbe erant arma, sed singulis, regis edicto, ne desciscerent, adempta. Audiens postmodum Hercules Eriginum cum exercitu appropinquare urbi, obuiam cum militibus egressus, in quodam angusto aditu, ubi paucis pugnandi locus erat, regem adortus, prælio uictum occidit, omni illius exercitu deleto: extemploq; ciuitatem Orchomeniorum captam, Minyarum prius incensa regia, euertit. Ad quarū rerum famam per uersam Græciam dispersam stupentibus omnibus, Creon rex admiratus adulescentis uirtutem, filiam illi Megaram nuptiis despondit: urbisq; ueluti filio curam permisit. Eurystheus habens Argis regnum, nota Herculis fama, cum ad perficienda certamina arcessit. Reuentem iussit Iupiter Eurystheo obtemperare. At is Delphos adiens, consulto super his deo, respõsum tulit à dijs, iunctum esse ut Eurysthei iussu duodecim certamina perficeret: quibus trãfactis immortalitate potiret. Ea ex re haud parū est cõmotus animo Hercules. Nam & sua indignum uirtute uidebatur, humiliori seruire: & Ioui patri non obtemperare, tum inutile, tum impossibile ducebat. Hac anxietate perplexo animo, luno rabiem iniecit. Itaq; in insaniam amētiamq; uersus, Iolam occidere uoluit. Quo fugiente, filios qui prope Megaram habitabant, sagittis uelut hostes appetiit. Paulatim abscedente dementia, præteritum recognoscens facinus, doluit ex tanta calamitate. Cumq; singuli unâ eius malo morerent, diu quiescit domi, fugiens hominū consortia & consolationes. Tandem tempore dolorē mitigante, paratus ad subeunda pericula, ad Eurystheū uenit. A quo primùm imperatus est Nemæi leonis interficiendi labor. Hic præter modum ingēs, & qui neq; ferro, neq; ære, neq; lapide uulnerari posset, manibus necessario erat occidendus. Versabatur is maxime inter Mycenæ ac Nemæam syluam, circa montē quem à casu Tritonem dixerunt. Huius in radicibus aderat spelunca, ad quam diuertebat belua. Hercules cum ad locum accessisset, refugientem in speluncâ insecutus ferâ, altero aditus ore obturato, manibus leonē cõprehensum suffocauit. Detractam pellem corpori tegumentū ad futura pericula circumdedit. Secundum ei certamen additū fuit, interitus hydræ ler-
nææ: